

enigmata q̄ in hac t̄ta inveni.

pat. s̄ nō potat p̄fic̄ in m̄



119.
CONCLUSIONES
De
TRANSACTIONIBUS.

QUAS

D. O. M. A.

Consentiente Magnifico, & Am-
plissimo Jctorum Ordine.

P R Æ S I D E

Viro Amplissimo & Consultissimo

DN. DOMINICO ARUMÆO J. C.
Professore Pandectarum publico, Scabinatus
ac Dicasterii provincialis Adfessore dignissimo, Præceptore,
suo omni observantia cultu profe-
quendo,

P U B L I C E

*In illustris & florentissima Jenensium Academia
Auditorio Jctorum discutiendas*

Proponit

HENRICUS SMERHEIM MINDANUS
WESTPHALUS.

A D D I E M M A R T I I.

J E N Æ

Typis HENRICI Rauchmauls/

ANNO

M. DC. XIV.



originate est in hac una in dem.

par. s. no totat vltim in dem

111

CONSTITUTIONES

IMPERATORIALIUM

CONSTITUTIONUM & AM-

FRANCISCAE AUSTRIACAE

IMPERATORIS

MAXIMILIANI I

IMPERATORIS

MAXIMILIANI I

IMPERATORIS

MAXIMILIANI I





DE TRANSACTIONIBUS.

CONCLUSIO I.

Duo sunt summa ac
præcipua litium finiendarum
genera (a): TRANSACTIO
& JUDICIUM (b).

(a) *Compromissum, arbitrium, confessio adversarij, jusjurandum, sunt etiam litium dirimendarum remedia, quæ tamen vel ad judicia vel ad transactiones referri possunt. vid. Giphani. in l. dominii 29. n. 11. 12. & 13. C. de donat. Bocer. Class. 6. disput. 2. th. 6. (b) Judicium redditur in invitum l. inter. 83. §. 1. ff. de V. O. & multas magnasq; habet difficultates, magni in eo sunt sumptus: sive enim quis justam causam foveat, sive injustam, nihilominus sine sumptibus litigare non potest; multe & graves suscipiuntur labores, cura & molestia: sæpè etiam inimicitia atque discordia ex eo inter cives oriuntur. Horum incommodorum nullum in transactione reperitur, cum ea inter amicos & sine ullo strepitu judiciario fieri soleat. Unde jura transactione potius quàm judicio lites finire volunt. c. ex literis 1. de mut. petit. c. querelam. 15. de Simon. c. si primates 5. q. 2. l. si cujus rei 13. §. sed si inter 3. ff. de usufr. Novell. 86. c. 2. Wefenb. 1. consil. 21.*

II.

Transactio, compositum à trans &
actio, in generali significatione, cujusvis

A 2

rei



rei quæ in mutuis sermonibus, & negotiis
versatur, perfectionem absolutionemq;
significat.

Connan. lib. 5. comment. cap. 6. n. 1. Donell. in Rubr. C.
hîc. *Transigere enim idem est, quod finire, expedire, conficere & Sa-*
lust. in proœmio. Ne vitam silentio transigant. Virg. Æn. 1. fatis me-
lioribus annos Transigat. Cic. pro Quinct. Quero, qua ratione Ne-
nus susceptum negotium non transegerit. Sic Jcti in l. si quis 63. §.
fin. ff. de acquir. rer. dom. l. 1. C. Qui admitti ad bon. possess.
Transactum tempus. Item in l. admonendi. 31. in fin. ff. de jurejur. l.
ad tempus 5. ff. de decurion. l. 15. ff. ad municip. & alibi passim.
transactum negotium.

III.

In speciali significatione & propriâ
(a) nobis est conventio, (b) qua res dubia,
(c) Lisvè præsens vel futura aliquo dato
retento vel promisso remittitur (d).

(a) tit. ff. & C. hic. Sichard. & Gilken. in Rubr. C. hîc. (b) l. 1.
§. conventionis 3. ff. de pact. l. cum proponas 17. C. hîc. *Conven-*
tionis vocabulû generale est l. Labeo. 2. l. 5. ff. de pact. & tam ad con-
tractus nominatos & innominatos, quàm ad pacta refertur. Unde in
disceptationem vocatur, quibus transactio sit annumeranda? Pa-
ctis si promissio absque stipulatione fiat de re-
mittendâ solum lite. l. 2. ff. hîc. l. ut responsum 15. C. eod.
Quia ejusmodi conventio nullum in se continet mutuum negotium, sed
stat in nudis conventionis terminis. Si enim aliquis dare, alter contra
à lite discedere promittat, nullum inter illos geritur negotium, sed tùm
geretur, si alter dat, ut à lite liberetur, vel litem remittat, ut accipiat.
Et longè aliud est dare & à lite discedere, quàm promittere, dare &
promittere à lite discedere arg. l. in bonaf. 7. ff. de eo quod cert. loc.
Hart. Hartman lib. 2. pract. observ. in miscell. jur. civil. 2. Borch.
tract.

tract. hîc cap. i. n. 8. *Contractibus innominatis si
ejus quod placuit, implementum sequatur*

*l. cum mota. 6. C. hîc. Connan. d. cap. 6. n. 11. Causa enim subest,
que nō solum isti conventioni occasionem sed etiam materiam prestat.*

l. 7. §. sed & si 2. ff. de pact. quam pacta non agnoscunt d. l. 7. §. 4.

*Si verò stipulatione quid pro litis decisione
promittatur contractibus nominatis annu-*

merari putamus d. l. cum mota 6. l. si pro fundo 23. C. cod.

*Connan. d. l. Diff. Duaren. in l. i. §. conventionis. de pact. Aliter
Coraf. lib. i. miscell. jur. 23. (c) l. i. ff. hîc. Ex eo maximè estimatur
transactio non tamen ex eo solo. l. si donationis 18. C. de donat. An-
ton. Fab. ad d. l. i. (d) l. transactio nullo dato 38. C. hîc l. suus hæ-
res. 3. C. de repud. vel abstinend. hæred. Giph. in l. 29. ff. de do-
nat. n. 16. Nam si reus totum quod ab ipso petitur aëtori det, nullo in-
vicem accepto, retento vel promisso solutio est, non transactio. Simili-
ter si aëtor nihil prorsus accipiat vel retineat, sed gratis litem remit-
tat, transactio non est, sed potius donatio, quamvis de actione & lite
fiat d. l. si donationis. 18. C. donat. Donell. in l. 38. C. hîc*

IV.

Transactio est vel generalis vel spe-
cialis. (a) Generalis quando vel infinitè
transigitur de omni re dubia, vel finitè de
re quidem certa, sed de tali quæ multa
corpora, multas species, multasvè partes
complectitur. (b) Specialis quando de re
singulari vel pluribus specialiter enume-
ratis lis remittitur.

(a) Duar. hîc cap. 3. §. deinde transactio Donell. in l. sub
prætextu 29. C. hîc. Boc. Class. 2. disp. 20. th. 20. (b) *Ille hereditas,*

A 3

negotiorum

negotiorum administratio, tutela, armentum &c. l. cum te proponas. 2 l. 3. C. hñc. l. qui cum tutoribus. 9. ff. eod. Boc. d. l.

V.

Utraque perficitur vel pacto (a) vel acceptilatione: (b) eaq; vel simplici vel accedente Aquiliana stipulatione (c).

(a) l. 2. ff. hñc. Cui interdum stipulatio pœnalis l. pacto. 15. ff. eod. l. promissis 37. C. eod. ut si promissa non impleantur, is qui fidem non servat, certam pœnam solvat, vel juramentum adjicitur l. 41. & pen. C. eod. (b) d. l. 2. ubi Costal. l. 15. C. eod. (c) per acceptilationem tantum tollitur obligatio, quæ verbis est contracta. Nec enim ratio juris patitur, ut verbis possint dissolvi aliæ obligationes quàm quæ verbis contractæ sunt l. prout 80. ff. de solut. l. nihil tam naturale. 35. de R. J. Ut autem & reliquæ obligationes eodem modo perimi possint, Aquilianâ efficitur stipulatione, veluti si prius quod ex alia debetur causa in stipulationem deducatur, & deinde per acceptilationem tollatur §. Item per acceptilationem i. Inst. Quib. mod. toll. obligat. l. ult. C. de accept. l. 4. ff. hñc, Borch, d. tract. cap. 2. per tot. Vult. Jurisp. Rom. lib. 1. cap. 55.

VI.

Omnes qui pacisci possunt, rectè quoque transigunt. (a) Hinc non obscurum erit quid de furioso, pupillo, prodigo, minori, muto, surdo (b) & cæteris personis dicendum.

(a) Julius Paul. lib. 1. sentent. tit. 1. Treutl. volum. 1. disp. 7. th. 2. Sanus igitur mente licet eger sit corpore rectè transigit. l. sanum 27. C. hñc. nisi vitium corporis penetret ad animum, ut si quis propter febrim aliena loquatur l. ob quæ vitia 4. §. 1. ff. de ædilit. edict. Duar. hñc. cap. 1. in fin. (b) Mutus & surdus pacto transigere possunt, subdita verò stipulatione non item, arg. l. ubi non voce. 124. de R. J.

R. J. l. i. §. penult. & ult. ff. de obligat. & act. l. i. ff. de V. O. ubi Cujac. Donell. & reliqui Interpp. *Quod tamen non est exaudiendum de eo, qui difficulter loquitur, sed qui planè non loquitur. Ut & non de eo qui tardius exaudit, sed qui omninò non exaudit,* Gædd. de contrah. stipul. cap. 7. concl. 15. n. 284.

VII.

Et ut pacisci sic transigere in præjudicium alterius nemo potest, (a) nisi is qui **LEGE** vel **CONVENTIONE** liberam commissorum bonorum habet administrationem (b).

(a) l. si unus 27. §. pacta quæ turpem 4. ff. de pact. l. si tibi decem 17. §. 4. eod. l. quo tutela 73. §. 4. de R. J. *Quæcumq; gerimus (inquit Jctus) quæcumq; contrahimus nisi ex nostro contractu nostrave persona initium capiant, inanem actum efficiunt,* l. quæcumq; 11. ff. de Obligat. & Actionib. (b) Costal. in l. item magistri 12. ff. de pact. Gail. 2. observ. 72. n. 11. & 12. *modo utilitati ejus, cujus nomine transigit, consulat, nihilq; donando remittat,* l. 46. §. ult. ff. de administ. tut. l. non omni. 16. C. eod. l. ab agnato 12. l. ult. ff. de Curat. furios. *Donatio enim administrationis fines excedit* l. filiusf. 7. ff. de donat. l. contra 28. §. ult. ff. de pact. *Cum donare non sit administrare, sed perdere & dilapidare* d. l. 7. verb. ut perdat. *Diss. Dd. communiter, qui distinguunt, quod transigere possit, si rem, de qua lis est, retineat, non verò si alienet. Quod displicet* Costal. in l. nulli procuratorum 13. ff. hîc. & refellit Anton. Fab. 1. Jurisp. 12. pr. 7. illat. 43. *Quid enim si pro retinenda re præstiterit aliquid majoris estimationis?*

VIII.

LEGE: tutor, curator in negotiis pupillorum & minorum (a) administrator civitatis (b) &c.

(a) l. inter-

(a) l. interdum 56. §. pen. ff. de furt. Costal. ad d. l. item magistri 14. de pact. Donell. in l. pactum curatoris 22. C. de pact. Amplifs. & Consultifs. Dn. Foman. disp. 16. th. 11. lit. B. Gilken. in l. transactionis 7. n. 12. C. hîc. (b) l. præses provinciæ. 12. Ubi Donell. C. hîc. Costal. in d. l. 12. Gail. 2. observat. 72. Wefenb. in paratit. n. 4. *Cum pater quoq; sit legitimus administrator bonorum adventitiorum filij quem habet in potestate.* Arius Pinell. ad l. 1. C. de bon. matern. part. 2. n. 15. Duar. hîc cap. 1. *in dubium vocatur, an de ijs in præjudicium filij non consentientis transigere possit?* Negantibus ad stipulamur propter l. ult. §. ubi a. in unum 3. C. de bon. matern. Amplifs. & Consultifs. Dn. Præf. disp. Pandect. 3. th. 20. *Nisi eorum alienatio illi sit concessa, ut in d. §. ubi autem in pr. Valet quoq; transactio patris non proprietatem sed usumfructum paternum spectans d. l. §. 4. vers. hoc procul. in verb. quæ nullo modo proprietatem deteriore possint facere.* Diff. Gail. d. observ. 72. n. 14. & 15. Mynsing. cent. 6. observat. 61. *patrem transigendo regulariter præjudicare posse filiosam, existimantes.*

IX.

CONVENTIONE : Procurator omnium bonorum.

l. procurator. 58. l. 59. ff. de procurat. l. nam & nocere 12. ff. de pact. l. jusjurandum 17. §. ult. ff. de jurej. l. qua ratione 9. §. nihil a. interest 4. ff. de acquir. rer. dom. Duar. in comment. ad tit. ff. de procurat. cap. 9. §. alius est procurator. Giphon. in l. mandato generali 60. n. 5. ff. eod. *Procurator omnium bonorum, promiscuè procurator tutorum, seu universorum bonorum, procurator cui generaliter libera rerum vel negotiorum administratio commissa est, appellatur.* Diff. Cujac. Hotoman. in §. nihil a. interest. 41. Inst. de rer. divis. Costal. in d. l. procurator 58. Gilken. in l. transactionis 7. n. 10, & 21. C. hîc. Pacius centur. 2. antinom. qu. 47. *Qui distinguunt*

10
gvunt inter procuratorem omnium bonorum & procuratorem cui libera rerum administratio concessa est, tantam esse vim vocabuli *libera* in mandato inserti, ut plerq³ possit facere, quæ alioqui non posset, ut alienare, transigere & c. existimantes. Quod rectè improbatum est à Donell. 4. comment. jur. civ. 16. Giphan. in d. l. procurator 58. n. 5. 6. & seqq. Universorum namq³ bonorum administratio quamvis simpliciter tradita, nihilominus intelligitur libera esse tradita, alioqui non esset universorum bonorum, quam non liceret exercere in rebus omnibus. Idq³ ita esse facile ex eo intelligitur, quod constet certam & indubitatam rei gerendæ potestatem eum accipere cui specialiter quid mandatum est, & mandatum non egreditur, & quidem multo certius quam si generaliter ei administratio verbo *libera* adjecto data esset. Et tamen ubiq³ comparatur procurator, cui specialiter quid mandatum est & procurator universorum bonorum sive rerum omnium d. l. 12. de pact. l. jusjurandum. 17. §. ult. l. vel universorum. seq. ff. de pignor. Action. Vide Vaud. lib. 1. quæst. jur. variar. quæst. 47. Procurator cui hoc nominatim permixtum est, dubium non est, quin transigere possit. Sed an compromittere in eum posset, quem arbitratorem vocant, controvertitur. Et verius est non posse. Fines enim mandati diligenter sunt custodiendi l. diligenter 5. ff. mandat. adeò ut qui eos excesserit, non id quod mandatum, sed aliud quid facere videatur. Procurator igitur datus ut transigat, si compromitteret, fines mandati egrederetur, cum aliud sit transigere, per quod statim à lite disceditur, & aliud compromittere, ubi in cognoscendo mora requiritur & sumptus Gilken. in d. l. transactionis 7. n. 2. 3. & seqq. Procurator verò in rem suam datus licet nominatim ad agendum tantum datus sit, transigere tamen potest Donell. in d. l. 7. Gilk. ibid. n. 9. Talis enim procurator habetur in omnibus pro domino: imò & ipsi domino, id est, mandatori præfertur, l. sicut. 8. §. 2. ff. Quib. mod. pig. vel hypoth. solvit. l. procurator. 55. ubi Giphan. ff. de procurat.

X.

Res (a) quælibet dubia (b) in transactionem deduci potest, nisi naturâ velle-ge prohibeatur.

B

(a) Rei

(a) *Rei appellatione comprehendimus etiam delicta & crimina, de quibus etiam interdum transigere licet, l. 18. C. hic. Amplifs. & Consultif. Dn. Pingiz. Ordin. Jenens qq. Saxon. 4. n. 1. (b) Nihil interest, an lis aliqua subfit, an metus lites, l. 2. C. hic. Duar. hic. cap. 1. Gilken. in d. l. 2. n. 4. modò res sit dubia: quoniam de re certa & indubitata, neque lis neg, lites metus esse potest, & sic frustra transigitur. Quare de re judicata transactio non rectè interponitur, l. post rem judicatam. 56. ff. de re judic. l. eleganter Pomponius. 23. §. si post. 1. ff. de Condict. indebit. nisi sententia aliquo remedio infirmari possit, l. & post rem judicatam. 7. l. 11. ubi Costal. ff. hic, l. si causa cognita. 32. ubi. Donell. Gilken. C. cod.*

XI.

Natura: Delictum vel crimen futurum, (a) hæreditas viventis (b).

(a) *arg. l. si unus 27. §. pacta quæ turpem. 4. ff. de pact. junct. lib. 1. Paul. sentent. tit. 1. §. 1. Giphon. in l. Generaliter. 26. ff. de V. O. n. 3. 4. Quia ejusmodi transactio est bonis moribus contraria, quia turpis: turpis ideò quia invitatur ad delinquendum. Is enim quem nec metus divini numinis, nec amor virtutis à scelere deterrere potest, quid non committeret, si videret, id fore impunitum? (b) Est etiam mali exempli transigere de hæreditate viventis: Ut Imp. Justin. l. ult. C. de pact. ostendit. Sancimus, inquit, hujusmodi pacta, quæ contra bonos mores inita sunt repelli, & nihil ex his pactionibus observari: nisi ipse fortè de cujus hæreditate pactum est, voluntatem suam, eis accommodaverit, & in ea usq, ad extremum vitæ suæ spaciū perseveraverit. Jubemus etenim neg, donationes talium rerum, neg, hypothecas penitus esse admittendas, neque alium quenquam contractum & c. ibid. Gilken. n. 18. Duar. hic. cap. 3. §. deinde quod dictum. Connan. comm. lib. 5. cap. 5. n. 7. Vigel. in meth. jur. civ. lib. 2. cap. 41. caus. 2. Except. 15.*

XII.

Lege in transactionem deduci prohibentur controversiæ, quæ ex testamentis

tis

tis proficiscuntur nondum inspectis cognitisq; verbis testamenti.

l. de iis controversiis 6. ubi Costal. ff. hîc. Amplifs. & Consultifs. Dn. Præs. disp. Pandect. 3. th. 18. *Quia adversatur ultimis voluntatibus earumq; exitum, quem non impediri publicè privatimq; interest, l. i. C. de Sacros. Eccles. l. vel negare 6. ff. Quemadm. testam. aperi. impedit. Deinde quia est captiosa. Multi enim modico presenti contenti, magna relictâ, utpote alieno labore parta & inexpectato obvientia facile repudiant, Donell. in rubr. C. hîc. cap. ult. n. 3. Wefenb. in paratit. n. 5. Gilken. in l. sub pretextu. 29. n. 9. C. eod. Diff. Cujac. in l. i. in fin. ff. hîc.*

An huic inspectioni & cognitioni verborum testamenti partes renunciare possint? Nos negantium sententiam probamus.

Hec enim renunciatio est contra jus commune sive publicum, d. l. de his controversiis 6. cui privatorum pactis derogari non potest, l. jurisgentium 7. §. si paciscar. 14. l. si unus. 27. §. pacta quæ turpem. 4. ff. de pact. l. pacta quæ contra. 6. C. eod. l. nec ex prætorio 27. de R. J. &c. Borch. tract. hîc. cap. 3. n. 21. Treutl. d. disp. th. 4. lit. E.

XIII.

Alimenta (a) futura (b) quavis ultima voluntate relictâ (c).

l. Cum hi 8. ubi Cujac. Ant. Fab. ff. hîc l. de alimentis 8. ubi Sichard. Gilken. C. eod. *Quod propter favorem ultimarum voluntatum receptum & introductum est. Voluit enim is, qui reliquit alimenta in dies vel menses vel annos singulos præstari ea, ut is, cui reliquit vitam suam sustentare possit. Quæ voluntas suum effectum non sortiretur, si concederetur alimentario de ijs transigere. Nam alimentarius, qui hodiè est locuples, & alimentis non indiget, si de ijs transigeret, & paulò post in paupertatem incideret, contra mentem testatoris esurire, vel mendicatum victum querere cogeretur, Duar. lib. 1. disp. anniv. 44. Connan. comment. jur. civ. lib. 5. cap. 7. n. 5. Menoch. de arbitr. jud. quæst. cas. 170. n. 4. Wefenb. in paratit. hîc. n. 5. Borch. hîc. cap. 3. n. 28. Daniel Möller. semestr. lib. 5. differ. 42.*

Diff. Joh. Robert. 4. sentent. 19. Rectè tamen transigitur, si prætoris vel præsidis auctoritas interveniat, d. l. 8. in pr. & §. vult igitur 8. vel alimentarius transigendo conditionem suam meliorem faciat, d. l. §. eam transactionem 6. Puta si id quod consummato demum anno accipere debeat, in initio ejus consequatur, videatur Dan. Moller. d. l. Quæri hîc solet, *An de ijs animo donandi pacisci liceat?* Ita putat Donell. ad d. l. de alimentis 8. cum non prohibitum, intelligatur concessum. Negantium opinio placet. 1. De his rebus pacisci possumus de quibus transigere Paul. lib. i. recept. sentent. tit. i. §. i. 2. Major est prohibitionis ratio in pacto quam in transactione, quia paciscendo nihil accipit, vid. Amplifs. & Consultifs. Dn. Præs. disp. Pandect. 3. th. 19. (a) Alimenti & victus significationem exæquatam esse, Paul. in l. fin. ff. de aliment. & cibar. legat. testatur. Unde quemadmodum victus verbo id omne, quod ad tuendum conservandumq; hominis vitam necessarium est, continetur: sic quoq; alimenti, l. verbo victus. 43. & seq. de V. S. Itaq; non solum cibus, potus, verum etiam vestimentum, stramentum, tegumentum, habitatio &c. alimenti vocabulo veniunt, d. l. 8. §. i. Borch. dict. tract. cap. ii. n. 24. Verum is cui alimenta, vestiarius, & habitatio debentur, si de alimentis transigat, de vestiario & habitatione actiones intentare non impeditur. Quia Divus Marcus de ijs specialiter transigi voluit, d. l. 8. §. 12. (b) Alimenta præterita in transactionem deduci non prohibentur, cum in illis non sit tale periculum propositum, ut in futuris, quibus destitutus inopia constictari possit. Nec amplius alimenta sunt, posteaquam vita aliunde in præteritum sustentata est, sed simplex & purum debitum Wesenb. in paratit. n. 5. (c) Non solum testamento, sed etiam codicillis: propterea, quod codicilli speciem quandam ultimæ voluntatis constituent. Quia si factum est testamentum aliquod, pars ejus esse censentur, l. penult. ff. quemad. testam. aperiant. Si v. nullum; vicem testamenti obtinent, l. ab intestato 16. ff. de jur. Codicill. Imò etiam donatione mortis causa relicta, d. l. 8. §. 2. Licet enim, in plerisq; habeat naturam contractus, proprius tamen accedit legatis, & ad instar legatorum capitur, videatur Borch. d. cap. 35.

XIV. Et

XIV.

Et crimina publica quæ sanguinis
pœnam non ingerunt.

l. transigere 18. C. hîc. *Quia ratio, quare de criminibus sanguinis pœnam ingentibus transigere permissum est redemptio nimirum sanguinis, l. 1. ff. de bon. eor. qui ant. sent. in contrarium acta aliud jus omninò operari debet, arg. l. si illud. 32. ff. ad l. Aquil. Amplif. & Consultif. Dn. Præf. disp. Pandect. 4. th. 40. Deinde actor de his criminibus transigens incidit in pœnam Turpilliani, l. 1. ff. de jure fisc. l. 2. C. ad Turpill. Et reus habetur pro convicto, l. ult. ff. de prævaricat. secus si permissum esset. Quod enim lege permittente fit, nullam pœnam mereri debet, arg. l. Gracchus 4. C. ad l. Jul. de adult. Impp. in d. l. 18. de his criminibus transigere permissum esse negant, nec addunt pacisci. Undè queritur, an de ijs pacisci liceat? Quod negamus. Quocungq; enim modo accusator desistit ab accusatione, sive transigendo id fiat sive paciscendo, sive repudiando accusationem in SC. Turpillianum incidit, l. 1. §. si quis 7. l. 15. ff. ad SC. Turpill. tot. tit. C. eod. Ant. Fab. conject. 2. cap. 20. An de stupro transigere liceat valdè controversum est? Stuprum committitur in virginem viduamvè honestè viventem, §. item lex Julia 4. Inst. de. publ. judic. l. stuprum. 34. §. 1. ff. ad l. Jul. de Adult. Estq; vel voluntarium vel violentum, Damhoud. in pract. rer. crim. cap. 92. n. 2. Voluntarium, quod volente & parum reluctante virgine vel vidua committitur. Huic pœna sanguinis non est præstituta, d. §. 4. Itaq; de eo transigere non licebit, d. l. 18. cum indubitati juris sit: exceptionem confirmare regulam in casibus non exceptis, l. quæsitum. §. deniq; ff. de fund. instr. & instr. legat. Violentum quando virgines vel viduæ per vim opprimuntur. Hujus pœna cum sit capitalis, l. 1. in fin. ff. de Extraord. crim. propter rationem, d. l. 1. de bon. eor. qui ant. sent. de eo transigere posse putamus, Gilken. ad d. l. 18. n. 28. Diff. Donell. ibid. num. 8. Nec mino-*

ris est controversia an de crimine falsi transigere permissum sit? Negantium partes eatenus sequimur, quatenus ratio d. l. i. de bon. cor. qui ant. sent. non militet in hoc crimine. Pœna enim hujus criminis varia est, nec certa prescribi potest: cum ea ad qualitatem factorum, quæ varia in hoc crimine sunt, & alia alijs graviora referri aptè & æquabiliter debeat, Wesenb. in paratit. ff. ad l. Cornel. de fals. n. 12. Unde interdum intenditur usq; ad extremum supplicium, l. 22. circa fin. ibi si id exigat magnitudo commissi C. cod. Si verò pœnam sanguinis non ingerat. Neg; ulla ratio afferri potest, quare crimen falsi hîc excipiat. Aut enim gravius est crimen cæteris, aut par, aut minus. Si gravius, tantò magis coercendum, quanquam sunt alia multa graviora. Si par, cur distingvimus, quæ eadem ratio conjungit? Minus a. dicere non licet. Neg; ullus locus juris satis idoneus, quo hæc probetur exceptio Citantur, l. 2. C. de iis quib. aut indig. l. 7. C. ad l. Cornel. de fals. l. pen. C. hîc. Ad quas respondet Donell. in d. l. 18. n. 14. & seq. Ant. Faber. conject. lib. 2. cap. 20. vid. Jacob. Rævard. lib. 4. varior. cap. 6. Wesenb. in paratit. n. 5. Diff. Connan. lib. 5. comment. cap. 7. n. 3. & 4. Cujac. lib. 6. observat. cap. 11. lib. 19. observat. cap. 39. & lib. 20. cap. 19. Anton. Govean. lib. 1. varior. cap. 30. Nicol. Valla de reb. dub. tract. 17.

XV.

Contrà crimina quæ sanguinis pœnam ingerunt, excepto adulterio, in transactionem deduci non prohibentur.

d. l. transigere. 18. *Quia ut ait Cic. pro Milon. omnis honesta ratio est expedienda salutis. Quod disertè comprobat d. l. i. de bon. eorum qui ant. sent. ubi dicitur, ignoscendum est ei qui sanguinem suum qualiter quaiiter redemptum voluit. Nec hæc transactio est contra Jus publicum. Eâ enim non efficitur, ut delicta maneant impunita. Nam paciscens facultatem accusandi sibi solum, hac transactione adimit, non alijs, qui eundem reum accusare atq; ita vindictam publicam exigere possunt; Imò judex ex officio in eundem reum inquirere potest, l. qui destitit ff. ad Turpil. l. qui coetu 5. §. fin. ff. ad l. Jul. de vi publ. l. 3. §. pen. ff. de sepulch. violat. Gomez, variar. resolut.*

tom. 3. cap. 3 n. 55. Marant. in Specul. part. 6. n. 55. *An appellatione pœna sanguinis hic membri amputatio, vel fustigatio qua sanguinis effusio inducitur, veniat?* Neg. Quia d. l. 18. tantum loquitur de pœna sanguinis, quæ est capitalis. Capitalis pœna est mors vel exilium, l. 2. ff. de publ. jud. l. 2. in pr. ff. de pœnis. Atqui damnatus ad fustigationis vel mutilationis membri, pœnam nec mortem nec exilium patitur. E. Marant. in Specul. part. 4. distinct. 2. n. 2. Imò quod d. l. 18. tantum loquatur de morte naturali quam Aristoteles in lib. de morte recessum anime à corpore definitivo argumento est certissimo, d. l. 1. de bon. cor. qui ant. l. fin. ff. de prævaricat. l. fin. C. de Jud. Amplifs. & Consultifs. Dn. Præf. dict. disp. th. 26. Diff. Sichard. ad d. l. 18. n. 2. Clar. lib. 1. recept. sentent. §. fin. quæst. 58. n. 7. & 8. Unde dispositio hujus legis locum non habebit in pœna perpetui carceris nec in causa honoris. Vide Gilken. in d. l. 18. n. 43. *Querunt hic Dd.*

An etiam accusator impunè transigere possit?

Affirm. 1. facit generalitas d. l. 18. quæ quoniam simpliciter, & indistinctè transactionem permittit, nec distinguit inter accusatorem & reum simpliciter quoque intelligi, nec ad solum reum restringi debet, arg. l. 1. §. penult. ff. de aieat. 2. Quia dispositio hujus legis alias redderetur inutilis si ex parte accusatoris transactio non esset permissa. Hoc enim efficeretur, ut nec reo permessa esset. Nec enim reus potest precium dare, nisi sit qui accipiat, neg. accusator accepturus, si pœnam metuat, quod ab accusatione destiterit. 3. Quod lege permittente fit, nullam pœnam meretur, l. Gracchus 4. ff. ad l. Jul. de adult. Alioquin homines deciperentur auctoritate legis aliquid permittentis, quod est absurdum dicere, l. 1. ff. de his qui ven. atat. impet. Donell. ad d. l. 18. n. 5. Wesen. in parat. n. 5. Diff. Hotom. in quæstion. illustr. quæst. 23. Excipitur crimen adulterij, cujus exceptionis rationem variam investigarunt interpp. Anton. Fab. lib. 2. conject. 20. Hoc constitutum esse, ait, contra certissimam juris rationem à posterioribus. Impp. quibus voluntas fuit pro ratione. Hotoman. transpositis de tractisq. negationibus sensum d. l. 18. omninò perturbat, Cujac. lib. 6. observ. 11. & lib. 19. observat. 39. *verba hæc Excepto adulterio*

rio

rio à Triboniano esse inserta, ut convenirent cum decisione Justiniani §. item Lex Julia 4. Inst. de publ. Judic. & constitutione Constanti. ni, l. quamvis 30. C. ad l. Jul. de adult. contendit, propterea quod eo tempore quo d. l. 18. promulgata fuit, adulterium non fuerit capitale. Nos ante promulgationem d. l. 18. adulterium ex l. Julia capitale fuisse cum Corasio lib. 2. miscell. juris cap. cap. 1. Domhoud. in pract. crim. cap. 90. n. 66. & seqq. Menoch. lib. 3. de arbitrar. jud. quaest. cas. 290. Amplifs. & Consultifs. Dn. Ortolph. Foman. disp. 36. th. 13. lit. C. Gædd. in l. 101. in pr. n. 4. ff. de V. S. rationem verò exceptionis consistere in frequentia, summa delicti turpitudine, & admissi gravitate defendere conabimur videatur Amplifs. & Consultifs. Dn. Præf. disp. Pandect. 4. th. 37.

XVI.

De privatis delictis, si agatur civiliter transigere prohibitum non est.

Vel criminaliter agitur pro delicto vel civiliter priori casu transactio est prohibita. 1. Quod nullum pactum in præjudicium publicæ utilitatis vel fisci interpositum valeat, l. 7. §. si paciscar. 14. ff. de pact. junct. l. locatio 9. §. quod illicitè 5. ff. de publ. & vectigal. 2. Quod à prosecutione horum delictorum desistere non liceat, l. si quis repetere 7. junct. l. ab accusatione 6. in pr. ff. ad SC. Turpill. 3. Quod transigens notetur infamia, l. furti §. pactus. ff. de pact. & reus habeatur pro confesso, l. in fisci ff. de jur. fisci. Posteriori non, l. si profure 7. in pr. ff. de Condict. furtiv. l. interdum 56. §. penult. ff. de furt. l. post decisionem 13. C. eod. Jul. Clarus lib. 5. recept. sentent. §. fin. quaest. 58. Fachin. lib. 1. contr. cap. 9. vid. Gilken. ad d. l. 18. n. 58. & seqq. Quando verò civiliter vel criminaliter agi dicatur, docet Amplifs. & Consultifs. Dn. Præf. Exercit. Justin. 17. th. 3.

XVII.

Transactio ita legitimè interposita litem finit, reumq; ab ea liberat vel ipso jure vel ope exceptionis. Ipso jure si transactio

actio

actio acceptilatione facta sit. (a) Ope exceptionis si nudo pacto transactum sit (b).

(a) Tum enim reus ita liberatur ab obligantionis nexu, ut nulla amplius auctori supersit iure civili actio, l. 3. cum seqq. C. hinc §. item per acceptilationem i. Inst. Quib. mod. toll. obligat. Unde si reus transactioni stare, & id quod in transactione ineunda promisit, prestare nolit, actor non potest uti priori actione, utpote per acceptilationem extincta, l. qui res suas 98. §. aream 8. ff. de solut. l. cum mota 6. l. ut responsum 15. C. hinc sed actione ex stipulatu si interposita fuerit stipulatio, vel ea omissa actione prescriptis verbis experiatur actor necesse est, d. l. cum mota 6. Duar. hinc cap. 5. (b) Hoc enim casu tutus non est reus ipso iure, cum pristina actione adhuc experiri possit, quam pactum non sustulit. Nuda enim pacta non ipso iure actiones tollere possunt, sed eas elidunt ope exceptionis, si exceptio iusta sit nec contraria replicatione, elidi possit, l. 27. §. ne peteret. 2. ff. de pact. Hinc licet transactio nullam actionem pariat, tamen petitor, qui litem remisit, auxilio non destituitur. Sed veterem actionem, quam remisit, intentabit, quod si reus exceptionem transactionis adversus eum opponat, dabitur auctori replicatio doli mali (contra patronum sive parentem replicatio in factum) quod dolo faciat, quod petat transactionem sibi servari quam ipse non servat, l. sive apud 28. C. hinc. Sed quid dicendum si transactioni stipulatio poenalis subiecta fuerit, num in arbitrio sit auctoris vel rei, qui transactionem implevit & commodo transactionis frui, & poenam promissam petere? Maximè si sub hac clausula rato manente pacto concepta stipulatio fuerit, l. penult. ubi Costal. ff. hinc. vel iuramentum accesserit, l. si quis maior 41. C. eod. lat. ibid. Barthol. Bertaz. Duar. hinc cap. ult. Gail. 2. observat. 59. n. 4. His omissis alterutro tam reum quam actorem contentum esse, oportere verius est, l. rescriptum 10. §. si pacto. i. ff. de pact. l. ubi pactum 40. ubi Gilken. C. hinc Borch. tract. hinc cap. ult. n. 19. & seqq.

C

XVIII. Nec

XVIII.

Nec minorem obtinet authoritatem, quam res iudicata. (a) Undè lites legitima transactione finita, ne quidem, Imperiali rescripto resuscitari possunt. (b)

(a) l. non minorem. 20. ubi Sichard. Donell. Gilken. C. hîc
 (b) l. causas. 16. C. hîc. *Quia ea, que sunt Jurisgentium Princeps tollere non potest, nisi subsistente aliqua causa.* Forster. lib. 6. de success. cap. 36. n. 3 & Dd. in l. fin. C. si contra jus & c. *Transactionem esse Jurisg. dubitare non convenit, propter l. ex hoc jure 5. de J. & J. l. 1. & l. 7. ff. de pact. Andr. Gail. lib. 2. observat. 56. n. 1. Mynsing. centur. 5. observat. 97. n. 3. Ferdinand. Vasq. lib. 1. Illustr. quæst. cap. 5. n. 16. Menoch. lib. 1. arbit. quæst. cap. 48. n. 8. 9. Arius Pinell. in l. 2. n. 6.*

XIX.

Nequè sub prætextu specierum (a) Instrumentorumvè pòst repertorum. (b)

(a) l. sub prætextu. 29. C. hîc. *Quia genus omnes sub se species complectitur, & specialia semper generalibus insunt. Ideoque & de omnibus speciebus transactum intelligitur, l. semper generalibus 147 ff. de R. J. l. si unus. §. item si. de pact. Donell. in d. l. 29. n. 5. Gilken. ibid. n. 2. Non tamen semper quando genus in transactionem deducitur, transactio sit generalis, generalemq; recipit interpretationem. Aut enim fuit generalis petitio & generalis de ea transactio. Hoc casu exceptio transactionis obstat in omnibus, d. l. 29. l. Lucius 78. §. ult. ff. ad SC. Trebell. Aut generalis fuit petitio, sed nominatim de specie fuit transactum. Et hoc casu illi permissum est de alijs speciebus, de quibus transactum non est agere. Magis enim spectanda transactio est, quam petitio. Aut specialis fuit petitio & generalis transactio. Et hoc casu non de alijs transactum videri debet, quam quæ specialiter deducta fuerant in petitionem, ne alioqui transactio facile trabatur ad incogitata, l. cum Aquiliana 5. l. qui cum tutoribus 9. §. 1. ff. hîc. l. 3. C. eod. Aut denique utraque & petitio & transactio*

*transactio specialis fuit, & tunc idem jus obtinebit. Anton. Fab. in C. lib. 2. tit. 4. definit. 6. & 12. (b) l. sub prætextu. 19. C. hinc Trans-
actione lites finiuntur, quod cum Reip. maximopere intersit, lite finita
probationes non licet amplius afferri. Imò omnes probationes intelli-
guntur facta irrita & quasi cassata, c. 1. extra hinc. Amplifs. & Con-
sultifs. Dn. Præs. disp. Pandect. 21. th. 7.*

XX.

Sic nihil refert statim facti poeniteat
partem alteram. (a) Nec sufficit si propo-
natur, quod transactio tempore noctis in-
tercesserit (b) aut si probetur quod in in-
strumentum non redacta (c) aut apud acta
interposita non fuerit (d).

(a) l. quamvis 39. ubi Gilken. n. 2. Sichard. in l. cum te. 5.
n. 2. C. hinc Costal. ad l. si pecunia. 5 ff. de condict. caus. data. Licet
reus non praestiterit, quod transactionis causa promisit. Si paratus est,
prestare minus dubij est, actorem non esse audiendum: si verò presta-
re recuset, aut actio eo nomine actori parata est, qua id à reo conse-
quatur, aut non. Si actio, ea experiri debet; si non tamen litem insta-
rare non licebit, sed veteri actione cum reo agere potest, l. si major.
36. ubi Donell. C. hinc. (b) l. non minorem 20. ubi Sichard. n. 4.
Gilken. ibid. n. 2. Cum nullum tempus sanae mentis majoris viginti
quing. annis consensus repudiet. (c) l. cum tamen transegisse 5. C.
hinc. Scriptura enim non est necessaria in transactione: sicut nec in
alijs negocijs paucis exceptis in quibus lex scripturam requirit. (d)
l. sive apud acta 28. ubi Dd. C. hinc.

XXII.

Denique nec beneficio, l. 2. C. de re-
scind. vendit. transactio retractari potest.

1. Quae est vis rerum judicatarum eadem est etiam trans-
actionum, l. non minorem. 20. C. hinc. Res judicata propter lesionem

C 2

quan-

quantumvis enormem non rescinduntur, l. ult. & tot. tit. C. sentent. rescind. non poss. l. 2. C. quando provoc. non est necess. 2. *Jure Pandectarum transactio prae-textu lesionis rescindi non potest, nec si ad quadruplum usq. lesio interveniat, l. Lucius 78. §. ult. ff. ad SC. Trebelli Quod per constitutionem d. l. 2. correctum non reperitur.* 1. Quia loquitur de venditione & contractu bonae. Transactio vero est stricti juris §. actionum 28. Inst. de action. 2. Quia lesio contractus tempore certa esse debet d. l. 2. quod nullo modo fieri potest in transactione cujus natura & conditio est, ut de re incerta & dubia fieri debeat, l. i. ff. hic. Fieri enim nequit, ut res incerta certam habeat aestimationem, l. ubi a. 75. ff. de V. O. Ergo illi adhuc omnino standum, arg. l. sancimus 27. circ. pr. ibi quod enim non mutatur, cur stare prohibetur? C. de testament. l. praecipimus 32. in fin. C. de appellat. Donell ad d. l. 2. n. 61. Sichard. in l. cum te 5. n. 3. C. hic. And. Gail. lib. 2. observat. 70. n. 1. Anton. Fab. Error. pragmat. decad. 8. Error. 10. Diff. Arr. Pinell. in d. l. 2. n. 14. Costal. in l. in summa, 65. ff. de condict. indeb. Fachin. lib. 2. controv. cap. 26. Ad quorum argumenta respondet Amplifs. & Consultifs. Dn. Praeses, disp. ad d. l. 2. 3. th. 21.

XVI.

Retractatur vero transactio, si falsis instrumentis (a) dolo (b) metu (c) vel errore motus quis transegerit. (d)

(a) l. si ex falsis penult. C. hic. arg. l. non minorem. 20. C. hic junct. tit. C. si ex fals. instr. Nec refert utrum is qui instrumenta produxit, sciverit instrumenta esse falsa vel non. Nam si scivit, dolo fecit: nulla autem transactio rata habetur, quae dolo est interposita, l. 4. l. sub praetextu. C. hic. Si ignoravit, consensus deest, non enim hoc animo fuit, ut ex his vel ageret, vel transigeret. Sine consensu vero nulla conventio. E. nec transactio. (b) l. 7. §. 7. & 9. ff. de pact. l. sub praetextu 39. C. hic. Mynsing. cent. 4. observat. 37. Gail. lib. 2. observat. 65. & observat. 70. n. 12. Menoch. de arbitr. judic. quaest. cent. 1. cas. 15. n. 6. Anton. Faber. in Cod. lib. 2. cap. 6. decis. 13. Contractus bonae fidei, cui dolus causam dedit, ipso jure est nullus, l. in causae 16. §. 1. ff. de Minorib. Anton. Mercat. lib. 3. not. ad animadv.

madv. Robert. cap 1 2. & 4. Hartman. Pistor. lib. 1. quaest. 23. Nicol. Everhard. in top. leg. sub loco à contractu ad distract. n. 5. Diff. Corraf. lib. 2. miscell. jur. civ. cap. 8. n. 4. Robert. lib. 3. animadv. cap. 1 & aliquot seqq. & lib. 3. not. ad notat. Mercat. cap. 12. & 14. *Sed dolo transactio inita non est ipso jure nulla*, Donell. ad d. l. 19. n. 6. Wesenb. in paratit. hinc in fin. Diff. Costal. in l. & eleganter. 7. ff. de dol. malo. (c) l. interpositas. 13. C. hinc l. 1. ff. quod met. caus. *Omnis enim conventio ex consensu consistit, & nihil consensui tam contrarium est quam vis & metus*, l. nihil. 16. de R. J. *Quod tamen non est exaudiendum de quolibet metu, sed de tali qui in virum constantem cadere posset*, l. metum. 6. ff. quod metus caus. l. 2. Ex quib. caus. major. Gilken. in d. l. 13. (d) d. l. 16. junct. l. 1. §. 2. de pact. l. sub praetextu 29. C. hinc. *ut puta si apud extraneum talis res tempore transactionis ita fuisset, ut ex possessione & administratione transigens illum dominum existimasset, ut fieri solet*. arg. l. Titia 48. ff. de solut. l. 2. C. de acquirend. & retin. poss.

XXIII.

Sic utraque parte consentiente, atque reddito si quid fortè datum sit à transactionibus perfectis recedi potest.

l. si diversa. 14. ubi Donell. Gilken. C. hinc. *Quamvis enim lites legitimis transactionibus sopita & finita, non debeant temerè rescitari*, l. fratris 10. l. quamvis C. hinc. *tamen si utrumque ita conveniat, quo minus ex integro de eadem re agi possit, nihil est impedimento. Quin etiam ita fieri aequitatis ratio svadet*, l. pacta novissima. 12. C. de pactis. l. nihil. 35 l. omnia. l. ferè de R. J. *Quod secus se habet si altera tantum pars rescindi transactionem vellet. Id enim ei non permittitur*, d. l. fratris. 10. *Qua in re transactio differt à contractibus innominatis, in quibus locus est poenitentiae etiam invitâ alterâ parte. Puta, si pecuniam tibi dederò, ut Romam proficiscaris, possum poenitere & pecuniam tibi datam condicere & repetere*, l. si pecuniam 5. in pr. ff. de Condition. caus. dat. non secut. *cum alias transactio in contractuum innominatorum numero habeatur, ut supra th. 3. dictum*. Igitur transactiones hac in re naturam habent potius contractuum, qui solo consensu contrahuntur, ut emptio venditio. Nam &

hi solo consensu contrario dissolvi possunt, l ab Emptione. 58. de pact.
Sed queritur, quâ ratione actor agere possit:
cum vetus actio per transactionem sit sublata?
 Si actor post factam transactionem pactus sit, ut sibi denuò contra
 reum agere liceret refusa pecunia. simul etiam refusa pecunia sit, nun-
 quam erit tempus, cum contra reum experiri non possit. Vel veteri illa
 actione, quam transactione remisert, quacung, illa sit. Vel nova, id est,
 præscriptis verbis. Veteri: si in transactione nudo duntaxat pacto eam
 remisit. Nam pacto actio non tollitur, nisi ope exceptionis, quæ exceptio
 pacti si actori objiciatur, elidetur ab eo per replicationem doli, l. si
 unus. §. pactus. ff. de pact. Nova a. præscriptis verbis actione experiri
 potest, si vetus actio remissa fuit per acceptilationem, vid. th. 5. Nam
 acceptilatione actiones ipso jure tolluntur, ideog, vetus actio sic subla-
 ta, pacto restitui non potest: cum unaquaq, actio ex suis causis non ex
 consensu solum nascatur, d. l. si unus. §. pactus. sed actio præscriptis
 verbis dabitur. Quia hic negotium civile gestum est. Actor enim pecu-
 niam reo dedit vel reddidit hac lege appositâ, ut sibi agere adversus
 eum denuò liceret. Est igitur negotium: Do ut facias. At si re trans-
 actâ pactus sit actor, ut sibi denuò agere liceret, sed de pecunia accepta
 reo refundenda nihil actum sit. Si vetus actio remissa fuit nudo pa-
 cto, agi ex ea abuc poterit, non obstante pacti exceptione, quæ per re-
 plicationem elidi potest. Sed si per acceptilationem remissa sit, nulla
 competit actio actori, neque vetus, quia sublata est ipso jure, neque
 nova, Præscriptis verbis, quia nullum negotium hic gestum est:
 ideoque conventio intra fines nudi pacti permanet. Ex quo constat,
 actionem non nasci, multo minus extinctam rescuscitari posse, d. l. si
 unus. §. pactus. l. 7. §. sed cum nullæ & passim simil. ff. de pact.
 Donell. d. l.

COROLLARIA.

I.

AN substitutio pupillaris, puberi ver-
 bis directis facta, valeat per vim fidei-
 com-

commiffi. Communis fchola id docet
teft. Gomez. & confentit Donell. At Vi-
glius hanc opinionem rectè reprobat.

II.

An venditor præcisè rem tradere te-
neatur? Affirm.

III.

An contra bonæ fidei poffefforem
detur noxalis actio? Affirm.



Doctifs. Dn. Respon- denti.

R *Ecclè* HENRICE facis, sic mos & tem-
pora pofcunt,

Profer in apricum, pectore quicquid habes.

Quicquid & hausifti in cōflictu juris & aequi

Præfide Collegij me moderante vices.

Hactenus ingenium privata industria fovit,

Nunc etiam erudiant publica rostra tuum

Lucem odit, quicumq; mali fibi cōfcius, horret,

Aut proprij cerebri fomnia ftultus alit:

At

*At qui propositū discendi habet, appetit ultrò
Audiri à cunctis, laudis & artis amans.
Hic etiam in studijs laudem voluisse meretur,
Nec si supremum possit adire gradum.
Huc tibi jam reseras aditū, sic perge deinceps,
Paulatim crescit gloria & ingenium.*

L. m̄q; faciebat

*Johannes Gryphander Hist.
& Poes. Prof. P.*

F I N I S.



... ..
Albion

01 A 6518


ULB Halle 3
002 937 514


VD 17

Reise ✓

... ..





^{LIX.}
CONCLUSIONES
De
TRANSACTIONIBUS.

QUAS

D. O. M. A.

Consentiente Magnifico, & Amplissimo Jctorum Ordine.

PRÆSIDE

Viro Amplissimo & Consultissimo

DN. DOMINICO ARUMÆO J. C.
Professore Pandectarum publico, Scabinatus

ac Dicasterii provincialis Adfessore dignissimo, Præceptore,
suo omni observantiæ cultu profequendo,

PUBLICÆ

*In illustris & florentissima Jenensium Academia
Auditorio Jctorum discutiendas*

Proponit

HENRICUS SMERHEIM MINDANUS
WESTPHALUS.

AD DIEM MARTII.

JENÆ

Typis HENRICI Rauchmaule/

ANNO

M. DC. XIV.